

Typographus quotidie expectat *Kalmii Itinerarium per Canadam, Pensylvaniam, etc.*: quod totum contineat res naturales in triplici naturæ regno observationibus certe copiosissimis.

Annon aliquis Botanicus sequutus est astronomum vestrum qui petiit Caput b. Spei? *
Certe ista terra scatet plantis inter omnes maxime singularibus.

Audio *Hernandez herbarium* adhuc servari Matriti in bibliothecâ regiâ et satis bene conservatum, ut mihi retulit Læffing.

Te plurimum valere jubet DD. Bæck, qui bene ipse valet.

Accepi librum Ill. D. Reaumurii de ovis, pro quo quæso ipsi grates meas verbis reddes.

Artis nostræ antesignanum fratrem tuum Illustriss. D. Antonium, dulcissimam D. Bassaport, et D^{um} Patrem Laserre plurimum quæso salutes.

Dabam Upsaliæ 1751. d. 23. Decembr.

VIRO ILLUSTRIS

DD: BERNH. DE JUSSIEU,

PROFESSORI PARISINO,

ARTIS NOSTRÆ FULCRO PRIMARIO,

S. PL. D.

CAR: V. LINNÉ,

EQUES.

DUM inopinato mihi iste honos contigit, qui me inscripserat numero Membrorum Academiæ Regiæ Parisinæ,† quem agnosco per vitæ meæ curriculum Summum, non potui non me temperare, quin hisce erga Te, vir illustris, devotissimam piamque declararem mentem et gratitudinem, cum hunc Tibi me totum debere plane convictus sim.

* Nicolaus Ludovicus DE LA CAILLE inter mathematicos et astronomos Galliæ inclytus, Caput Bonæ Spei petierat ubi mappam hemisphærii cœlestis alterius perficeret; unde consecutum de *Cælo Australi Stellifero* (1763) opus eheu posthumum. Defuit comes, quem Linnæus hic reposcit, botanicus. Sed ipse, noctu astronomicis observationibus deditus, non nunquam diei otia botanicis impendit, plantasque Capenses collegit quibus redux herbarium Jussieanum donavit, in quo nomen viri illustrissimi sparsim nancisci juvat.

† “*The French Academy of Sciences having a right to nominate eight foreign members, and the great astronomer Bradley being dead, Archiater Linnæus was, on the 8th of December (1762), appointed in his stead. This honour is esteemed by the learned the highest that can be attained, and had never before been conferred on a Swede.*” Gratias Academiæ ipsi simul agit Linnæus in epistolâ quæ in Litterarum ejus collectione ed. Stoever impressa (p. 74–76) invenitur, non tamen absolute sua. Namque, ut per notulam sub-